

Enea Silvio Piccolomini

*Aeneae Silvii episcopi Senensis
Commentarius - Liber I*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Enea Silvio Piccolomini

*Aeneae Silvii episcopi Senensis
Commentarius - Liber I*

1456-04-22

In Dict. prooem.

[1] Alfonsus tanto est Socrate maior, quanto gravior Romanus homo quam Graecus putatur, et quanto difficilius est reges quam privatos homines philosophari.

In Dict. 1

[1] Hunc novum Herculem sibi auxilio esse et Senenses orant, quibus tanto iustius fuerit opem ferre, quanto indignius opprimuntur. Quod, si rex solitus est laborantibus etiam cum periculo subvenire, Senenses certe non deseret, quos vel solo verbo reddere tutos et quietos potest.

In Dict. 2

[1] In Anglia, quae quondam Britannia dicta est, qui extra matrimonium mulieribus commiscuntur deprehensi, sacerdotis imperio die festo et in processu cleri et populi adesse iubentur, et, retentis duntaxat femoralibus, nudi ecclesiam circuire, ardentem cereum manu gestantes. Si quem poenae pudet, is auro noxam redimit. [2] Magnus quidam Florentinus, qui saepe data pecunia effugisset poenam, rursus deprehensus subire quam dare argentum statuit. Die dicta, ad ecclesiam longo pallio contectus venit, quo in media turba virorum feminarumque deposito, omni ex parte nudus remansit. At indignante sacerdote, et femoralia ut resumeret iubente, «Minime – inquit – gentium! Nam pudenda haec, quae peccaverunt, ea potissimum dare poenas decet».

In Dict. 3

[1] Balthasar Cossa, qui, pontificatum adeptus maximum, Iohannes tertius et vicesimus dictus est, saepenumero supra modum laudatus inquit: «Quamvis ementita esse scio, quae de me praeclare dicuntur, his tamen vocibus me oblecto».

In Dict. 4

[1] Sapiunt, mea quidem sententia, qui, accepto aliquo beneficio vel mediocri, curiae valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, et periculo se subtrahunt, quod inter curiales frequenter accidit, qui veluti sues – ubi saginati sunt – in coenam domini mactantur. [2] Caeteri, qui opes adepti magnas apud reges perseverant, non quidem id agunt, ut gratias referant, sed vel tuto abire nequeunt, vel eis nihil satis esse prae se ferunt.

In Dict. 5

[1] Si Gothis ac Longobardis tales reges fuissent, neque mutilatum Livium, neque amissorum aliorum detrimenta auctorum deploraremus.

In Dict. 6

[1] Cum Alfonsum ego ex Baiis Puteolos usque sequerer, essetque ad me sermo de litteris, ait legisse se librum Augustini *De civitate Dei* ex Latino sermone in Gallicam linguam translatum, in cuius prooemio scriptum esset regem inlitteratum nihil aliud quam asinum coronatum esse. Atque ita sibi videri affirmavit.

In Dict. 7

[1] Pari, ut mihi videtur, prudentia erga Iacobum Picinini filium Alfonsus utitur. Cui ut amico subvenit, ab eo tamen, ut hoste, cavet.

In Dict. 8

[1] Harpyias arbitror fuisse quam plurimas. Nam curiam ego adhuc nullam vidi hisce avibus vacuam.

In Dict. 9

[1] Coeptis quae quidem iusta sunt, decet regem invictum adhibere animum, ac fortunam ferendo vincere. At ubi conatus iniquus est, praestat vinci quam vincere.

In Dict. 10

[1] Hieronymum haereticum, de quo senior Aurispa cum rege disputat, intelligo Bohemum fuisse, qui Constantiae crematus est, cum impie de religione sentiret: adde igitur, si placet, Hieronymi patriam, ut quod nos scimus posteros haud lateat.

In Dict. 11

[1] Venceslaus rex Bohemiae, Sigismundi frater, Karoli quarti Romanorum imperatoris filius et haeres, ministri offensus verbo, e mensa consurgens, arrepto pugione amicum interfecit. [2] Alexander Macedo, correpto in Clytum telo, per mortem carissimi hominis irae suae satisfacit, sibi se non satisfacisse poenitentia facti docuit. [3] Melior itaque Alfonsus utroque, qui primo iracundiae motui ut homo succubuit, secundum ut rationalis homo pervicit, ac parvulos suos, ut ait ille, illisit ad petram.

In Dict. 12

[1] Sigismundus imperator convicianti Bavario creditori colaphum incussit, mox poenitentia ductus, debitum omnem persolvit. [2] Modestior rex quam imperator, sed fortasse non tam huic equi regis modestia, quam Bavario caesaris ira salutaris fuit.

In Dict. 13

[1] Si sine litteris esset Alfonsus, liceret coenanti sibi, ut asino coronato, quietem expetere. At docti regis nullam vitae partem quietam esse fas est, nisi quam sibi somnus vendicat.

In Dict. 14

[1] Quid faciat in suos cives Alfonsus, cum etiam in hostes pius sit?

In Dict. 15

[1] Misericordem regem unum vel hoc factum Deo optimo et maximo proximum facit. Verum, cum victoriam rex abhorreat, foeditate et crudelitate partam existimandum est; neque his eum auxilio esse, qui bella per omne nefas gerunt.

In Dict. 16

[1] Cum Neapoli in Arce Nova de pace Tusciae deque mittendo in Albaniam Picinino per hos dies ageremus, studiosum Livii regem animadvertimus, quem saepe testem citavit, dum cavendum esse diceret, ne primam belli fortunam adversam experirentur. Nam praesagium finis ex initio concipi solitum, auctore Livio, testabatur.

2

In Dict. 17

[1] Sigismundi caesaris proverbium fuit ignarum esse regnandi, qui simulare nesciret. Vera ratio nec vultum minio, nec animum mendacio obtegentem regem probat.

In Dict. 18

[1] Simili liberalitate usum regem accepimus in pauperes presbiteros, qui divinam rem primum faciunt.

In Dict. 19

[1] Friderico Ciliae comiti, qui ob amorem concubinae uxorem interfecit atque deinde inter scorta vitam turpissimam agens ab hinc anno proximo vita decessit, ait ex amicis unus: «Annum iam supra nonagesimum agis, nec minus voluptati servis, quam si sis adolescens. Age iam demum moriturum te scito atque de sepulchro cogita». [2] Cui Fridericus istuc inquit: «Ago. Nam sepulchrali marmori hoc epigramma insculpendum statui: “Haec mihi porta est ad inferos”. Quid illic reperiam nescio. Scio quae reliqui: abundavi omnibus bonis, ex quibus nihil fero mecum, nisi quod bibi atque edi, quodque inexhausta voluptas exhaustit». [3] Tum amicus: «Sardanapali epitaphium – inquit – memoras, quod teste Aristotele, non hominis, sed bovis sepulchro inscribendum fuit».

3

I 16, 1: praesagium - solitum: cfr. Liv. XXIX 10

I 19, 3: Aristotele - fuit: Cic. *Tusc.* V 35 («haec habeo quae edi quaeque exsaturata libido hausit, at illa iacent multa et

In Dict. 20

[1] Ex ducibus transalpinis unum novimus, qui singulis diebus venientibus rusticis facilem praeberet aditum, non quidem iuris dicendi aut administrandae iustitiae cupiditate, sed ut munuscula ipse tolleret, quae ad curiales deferebantur. Nec tres duosve nummos, quos vocant Bohemicales, e manu pauperis auferre verebatur.

In Dict. 21

[1] Etruria nec agrorum amoenitate nec virtute virorum Picentiae agro cedit. Ea nunc vastatur. [2] Non gemitu regis egemus, sed voluntate quam dicis eum in Surrentinos habuisse, cum pacis et belli potens sit.

In Dict. 22

[1] Aut noscere per sese regem omnia optaverim, qualis Alfonsus est, aut adeo dementem esse, ut catena constrictus consiliariorum arbitrio regatur.

In Dict. 23

[1] Fridericus imperator Viennae et in Nova civitate Austriae arces magnifice instauravit, ac Sigismundus olim Budae. [2] Caeterum Alfonsus et nova quaecunque viderim opera et vetusta supergressus est, neque Darii regiam Neapolitanae arci comparandam fuisse putarim.

In Dict. 24

[1] Franci, quibus rex esset sola purpura et diademate conspicuus, illi crines totonderunt et, retruso in monasterium nebulone, auctoritate Zachariae Romani pontificis Pipinum susbtituerunt, quem non vestis aurea, praeclara relictā. Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulcro inscriberes?»)

sed spectata inter bonos moderatio et auctoritas regio culmine dignum fecerat.

In Dict. 25

[1] Adiutor asinario rex factus nonnullos Campaniae populos sibi conciliavit. [2] At si Senensibus opem tulerit pacemque laboranti Tusciae dederit, et illius provinciae et universarum Italiae civitatum tutor et pater appellabitur.

In Dict. 26

[1] Quos saevitia et crudelitate territos subegeris, ut metuas semper necesse est; quos tua tibi pietas misericordiaque conciliaverit, perpetuo fidos invenias.

In Dict. 27

[1] Hugoni Senensi, quem nostra aetas medicorum principem appellavit, uxor fuit nomine Ladia ex familia Sozinorum, in qua frequens virtus, forma rara. Hanc Hugo, quod deformis esset, Ladium bonam vocitare solebat, atque omni patrimonio privari quam coniuge maluisset. [2] Itaque potest amari deformis uxor, mala non potest. Tripponii fortasse coniugi neque morum suavitas, neque forma fuit.

In Dict. 28

[1] Armatus rex iusti belli causa, dum contra Florentinos Venetosque exercitum ducit, occurrentibus in agro Pelignensi hostium legatis et se victos profitentibus pacem dedit. At Senenses ante se superatos fatentur quam rex armetur, et obvoluti pedibus eius veniam petunt. [2] Quippe tanto gloriosius his, quam illis rex ignoverit, quanto potentiores sunt Veneti et Florentini

quam Senenses. Nam illis videri potest idcirco pax reddita, quod coepti regem poeniteret, tanquam magnas et opulentas civitates vincere desperaret. Concessam Senensi populo quietem nemo ex clementia regia profectam addubitabit.

In Dict. 29

[1] Picinino quoque permolestum fortasse fuerit Senensibus pacem reddi, qui mitissimi populi damno sibi et opes et gloriam quaerit. Sed nec virtuti eius, si modestior fuerit et regis imperio sese commiserit, aut locus aut honor deerit.

In Dict. 30

[1] Regum primogenitis, qui reges futuri sunt, non ab re huiusce gentis ducatus committitur. Nam cum Calabrorum ineptias experti fuerint, easque tolerare didicerint, aliorum populorum facile mores ferent.

In Dict. 31

[1] Alfonsi quaestio recte soluta est, at poterat ille amplius quaerere: «Si Deum ipsum veluti naturalem sedem appetit animus, cur tam invitus eo tendit, quo ire appetit, praesertim cum hoc bono in terris frui nequeamus?».

In Dict. 32

[1] Apud Iulianum Sancti Angeli cardinalem, doctissimum atque integerrimum patrem, Flavianis supra Danubium, cui civitati nunc Vienna est nomen, cum cenarem, fuissetque de Basiliensi concilio multus sermo, et inter coenandum moveri terram intueremur, discumberetque simul Iohannes cognomento Amicus

Agrippinensium legatus, qui diceret surgendum e mensa et in patentes campos abeundum, [2] «Bono animo – inquit Iulianus – o amici estote: de synodo Basiliensi locuti sumus, quae omnem ecclesiam tremefecit, non tamen illisit. Ita nec nos terrae motus iste consternaverit».

In Dict. 33

[1] Gaspar Schlichius, qui trium caesarum cancellarius fuit, optare se dicebat omnes reges aliquando privatos pauperesque fuisse: neque enim satis miseretur, qui nunquam fuit miser.

In Dict. 34

[1] Gloria longe maior est servati quam caesi hostis, tantoque triumphus illustrior, quanto plures relictii sunt.

In Dict. 35

[1] Magnificentissimos eos fuisse ludos ex Friderico imperatore accepimus, qui eo praesente per sacram hebdomadam editi sunt, anno post iubileum altero. [2] Nos autem ludos, quos Gallici «personagia» vocant, mirificos et nusquam similes Lausannae vidimus, quae civitas Lemano adiacet lacui.

In Dict. 36

[1] Pharmacum securus Alexander accepit, paratum a Philippo medico, quem corruptum auro Persico scripserat Antipater. Uterque medicus, ille arte, hic familia, suspicionis periculum incidit.

In Dict. 37

[1] In Fridericum caesarem tertium cum nonnulli dicta probrosa iactassent, referentibus aulicis: «An nescitis – inquit Fridericus – principes quasi signum ad sagittam expositos esse? Turres quidem fulgura praealtas feriunt, humilia tecta praetereunt. At nobiscum bene agitur, si verbis tantum impetimur».

In Dict. 38

[1] Hypocritarum vitam Friderico caesari coram accusabat Gaspar Schlichius, abiturumque sese aliquando in loca dicebat, quae hisce hominum monstis vacua essent. **[2]** Cui Fridericus: «Ultra Sauromatas ergo – inquit – et glaciale oceanum tibi eundum est. Sed cum eo veneris, non omnino carebit hypocrisi locus, si modo et tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non aliqua ex parte fictus fucatusque sit».

In Dict. 39

[1] Sermonem habuit coram Alfonso in coena Domini Antonius quidam Siculus ordinem divi Dominici professus, fine facto gloriabundus regi sese obtulit et quasi parum ex pulpito ganniisset, novas de sacramento altaris quaestiunculas introduxit. **[2]** Cui rex: «Obsecro – inquit – Rabbi: vas aureum aperuit quispiam, in quo ante mensem eucharistiam condiderat; nihil ibi praeter vermiculum reperit. **[3]** Ex auro, quod mundissimum purissimumque fuit, et undique clausum, non potuit vermis nasci, neque ex accidentibus, quae illic absque subiecto aderant. Ergo ex Christi corpore productus vermis; at ex substantia Dei quid aliud quam Deus prodeat? Vermis igitur Deus. Quid tu ad haec?». **[4]** Obtulit monachus. Nos qui eramus in corona,

theologicas ab rege scholas haud frustra visitatas fuisse cognovimus.

In Dict. 40

[1] Novitate gaudens Italiae nihil habet stabile, nullum in ea vetus regnum, facile hic ex servis reges videas. [2] Picinium, Ianionis filium, quasi regem nostra aetas venerata est. Des illi rei militaris peritiam, at homines inter, qui vel fugere vel capi quam mori malunt, Iohannem de Huniatus apud Hungaros, apud Albanos Scanderbech, apud Bohemos Podibratium, apud Theutones Albertum marchionem Brandenburgensem meo iudicio belli duces egregios existimes, qui cum saepe hostes vicerint, nunquam tamen incruentam victoriam reportarunt. [3] At milites Italici mercatores videntur, ubi equos et arma dedere liberi evadunt, nimirum mercatorum stipendia merentur. [4] Regis tamen vera sententia est:

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidae similis Vulcaniaque arma capessas,
quam si Thersitae similem producat Achilles .

[5] At saepius Herculem ex macellario, quam ex Hercule prognatum Picinium reperias.

4

In Dict. 41

[1] Henricus, Goriciae comes, multibibus et optimibibus fuit. Is duos ex uxore Hungara, nobili et prudenti femina, sustulerat filios, quos, antequam pueritiam exuerent, in thalamo suo apud se habuit, eosque inter

dormiendum media nocte saepius vocitare, et an sitirent interrogare solitus erat. [2] Quibus tacentibus – nam altus somnus eos oppresserat –, surgens ipse vinum ingerebat, illisque recusantibus ac evomentibus vinum, conversus ad uxorem: «Ex alio – inquit – concepisti, meretrix, neque enim filii mei sunt, qui noctem integram nil sitientes dormiunt».

[3] Leonardus Felsechius, nobilis eques, cum in Lipsensem civitatem pervenisset, in qua Saxones liberales artes ediscunt, percontareturque sobrini suus, qui tum forte illic studii causa degebat, quidnam et quantum profecisset, homo qui nosset eum et coauditor eius esset: «Optime – inquit – se habet amicus tuus. Nam inter mille et quingentos qui adsumus scolares, hic unus bibendi palmam obtinet». Neque ingrata sese homo nuntiasset putavit. Est enim mos apud Saxones, dum conveniunt, hos premia ponere, qui plus adbiberint, eumque ludum ad aequales haustus computationem vocant.

[4] Ulricus de Nova Domo, inter Bohemos procures opibus et auctoritate facile princeps, liberos suos, quam primum ablactatos novit, ad usum vini exercuit, neque Australica, seu Bavarica, quae leviora sunt, sed Cretensia, Tergestinaque et quae vocant Traminica his ministrari iussit. Interrogatus a Friderico caesare qua ratione id ageret: «Assuefacti – respondit illi – liberi mei, cum adoleverint amareque vina acceperint, securi adbibent quantum voluerint, neque vino capientur». «Sapis – inquit Fridericus – hoc ipsum Mitridates factitavit. At mihi si filius aliquando fuerit, nisi vinum oderit, eum ipse oderim».

[5] Caeterum, si regum cibus gloria est, ut Alfonsus ait, ea se gloria privari non sinet, quam consecutus est. Italiae pacatae, bellumque, si quod exoriri timor est, in Turchos vertet, illisque formidabilem sese ostendet.

In Dict. 42

[1] Viriatus non male Hispanorum Romulus appellatus est, Alfonsum vero eiusdem gentis Iulium, et, si pacem Tusciae reddiderit, Italogum Augustum non ab re vocaverimus.

In Dict. 43

[1] Haud mirum si, lecto Curtio, rex aegra valetudine levatus est. Nam, dum legit apud illum Alexandri facinora, maiorem sese orbis domitorem cognoscit, qui neque iracundia neque vino vincitur, quibus Alexander ipse succubuit.

In Dict. 44

[1] Detectum esse Vitruvium, qui quo pacto contegamur edocet, indignum regi visum est. At nec Senenses intactos a rege relinqui decet, qui detectos sibi hostes ostendere.

In Dict. 45

[1] Dicentem saepenumero Fridericum caesarem audivimus malle se febris teneri, quam saltationi operam dare. At Galli, ut quam levissime saltent, vestium quibus nec nates – turpe dictu visuque – obtegunt, usum invenere. Sequitur Hispania Gallicas ineptias. Italia vero damnat, detestatur, abhorret. Nam quid turpius, quam ita vestitum esse hominem, ut quasi nudus pudenda quaeque in propatulo habeat?

In Dict. 46

[1] Dantem ferunt, ad spectacula ductum, apud venditorem librorum, ex cuius taberna in forum prospectus esset, consedis, librumque, cuius fuisset cupidus invenisse, quem tam avide attenteque legerit, ut domum rediens iuramento firmaverit nihil se vidisse aut adisse ex his quae in foro dicta factave essent.

[2] Verum, de musca quoniam mentio incidit, referendum est Gallici principis exemplum, cuius nomen honestatis causa reticemus: convivium illi cum suis optimatibus fuit apparatus in horto aestate media, sub umbrosa ulmo, circumvolitare muscarum agmina inque dapes ac vina provolvi. [3] Convivae, quibus animantis foeditas stomachum moveret, mox ubi musca in pocula cecidit, vinum simul atque animal effudere. Aegre id cernere princeps, iacturamque vini tacitus indignari. Nam queri palam inter magnos qui aderant proceres, non est ausus, sed quos arguere verbo timuit, exemplo ammonuit. [4] Puerum, qui se coram flabello abigebat muscas ventulumque faciebat, cessare paululum iubet. Interea et in ciphum suum grandior musca incidit. Tum laetus princeps duobus digitis, pollice simul et indice, dextram alitis alam apprehendit, et aliquandiu craterem supra excutens, ne quid vini secum deferret, in terram proiecit. Exemplum convivae omnes secuti. [5] Noxium et importunum animal diis atque hominibus infestum, non mirum si Domitianus ille caesar tantopere insecutus est.

In Dict. 47

[1] Neque M. Tullii, neque M. Vitruvii inhonoratum esse tumulum decuit, cum alter a morte homines dicendo, alter a pluvia scribendo protexit. Si modo is Vitruvius apud Formias sepultus est, qui de architectura librum reliquit!

In Dict. 48

[1] Pium regem memoras, qui vel saxis Ciceronis pepercerit, qua ille reverentia tanti viri ossa consecratus esset. Utinam eius marmora, quae triumphalis arcus habet, parem apud posteros pietatem inveniant! [2] At ego illis timeo in arcis aditu collocatis: oppugnabitur aliquando locus, neque memoriae magni regis, neque artificio nobili venia dabitur. [3] Quando affectum quemvis excludit dominandi cupido, mallet sapientia regis illic suam memoriam consecrasset, ubi solius vetustatis aut invidiae metum subiisset.

In Dict. 49

[1] Hecatonis praeceptum, quod Seneca magnopere laudat: «si vis amari, ama», recte rex attestatus est erga Deum fallere, quem non omnes amant, qui amantur ab Eo. [2] Utinam nec Senenses hoc dicto decipiantur, qui regem Alfonsum vehementer amant atque observant.

In Dict. 50

I 46, 5. Domitianus - insecutus est: cfr. Svet. *Dom.* 3

I 49, 1. si vis - ama: Sen. *Epist.* IX 6

[1] Amici regi non minus Senenses sunt, quam Buzutus eques fuerit: salvam ipsius domum Alfonsus voluit, potius quam sibi triumphalem arcum apparari. Salutem quoque Senensium anteponat Picinini triumpho.

In Dict. 51

[1] Agere quam fari sapientis est: nunquam nisi cum necesse est sapiens loquitur, neque verba nisi ponderata mensurate profert. Stulto nullum est tempus sermoni clausum, facileque verba iactitat, qui sine consideratione profatur.

In Dict. 52

[1] Sena vetus ea erit vetula confido, quam regis gemma curabit, sed non amittet gemmam, id est benefacti gratiam. Nam regi et filio, et natis natorum et qui nascetur ab illis, dum stabunt moenia fidelis et obsequens erit.

In Dict. 53

[1] Et in Graecia et in Italia nati educatique barbarizant. Nam, quid magis barbarum quam raptō vivere et omnem aequitatem omnemque religionem proculcare, sicut Italicae militiae morem videmus esse?

In Dict. 54

[1] Ennius, si plerosque saeculi nostri reges contemplatus esset, credo non reges sed regones appellasset; Ecclesiae quoque praelatos, praelatos vocitasset, qui, praeter coronas et infulas, quod respondeat dignitati nihil ostendunt.

In Dict. 55

[1] Iusti principis est non solum afficere neminem iniuria, sed eos, qui damna quibusvis hominibus sine iusta causa inferunt, dum valeant, prohibere. Nam, teste Tullio, qui autem non obstitit – si potest – iniuriae, tam est in culpa, quam si patriam aut parentes prodiderit. [2] Eam ob causam, cum possit Alfonsus prohibere Picininum ne Senensibus oneri fit, ne bello impio pium populum afficiat, nisi id agat, iusticiam neglexisse caducariusque non immerito videbitur.

8

In Dict. 56

[1] Coloniae Agrippinae pictor quidam insignis, sed prodigus et piger et amator vini, quamplures Christi imagines cauponibus pignori dedit, easque hoc pacto perdere quam venumdare maluit. Interrogatus cur non potius venderet: «Ergo – inquit – me Iudam esse quam Christianum vultis!».

In Dict. 57

[1] Iohannes Gersius homo Vesfalus, qui Sigismundi caesaris prothonotarius fuit, Alberto Romanorum rege fatis functo, principes electores apud Frankfordiam adiit, ac ne Fridericum eligerent suadere summo conatus est, conficta in eum vitia multa disseminans, neque contentus his, cum Romam Fridericus peteret imperiales infulas suscepturus, Nicolao quinto summo pontifici plenas blasfemiarum epistolas direxit, quibus ne Fridericus coronaretur annixus est. [2] Nihil tamen horum imperatorem latuit, hominem tamen cum posset

corrigere, passus est Viennae vivere partisque frui bonis, quae illi non mediocria fuere.

In Dict. 58

[1] Apud reges nihilo magis iuramentum quam simplex verbum valet: animo enim princeps trahi non alia quavis arte potest. [2] Sed pudet me plus hodie fidei trans montes quam citra reperiri. Plerosque ex nostris principibus, quos Italia genuit, adeo parabolanos, ut ita loquar, invenias, ut certiora sint meretricum, quam eorum promissa.

In Dict. 59

[1] Alexander, qui fuit ex ducibus Massoviae, egregius bibulus, cum mortem obiisset apud Viennam, denique illi tricesimum in templo divi Stephani, cui praefuerant canonici multique viri nobiles celebrarent, sacerdos, qui sitibundus cellam vinariam praepositurae intraverat, vidisse se inter dolia deambulantem asseruit, et ad ecclesiam reversus, cum orantes adhuc compresbiteros invenisset: «Quid hic Alexandro inferias – inquit – agitis? Ille in suo templo laetus agit bibitque, vos hic siti arescitis».

In Dict. 60

[1] Paenituisse quam plures adepti regni compertum est, at qui litteras didicissent, neminem. Est enim doctrina sapientiae similis, quam omnis anima concupiscit, nulli onerosa. [2] Regni molestiae multos oppressere, quamvis Bononiensium insania cuncta regno posthabeat, cupiatque cum capitis periculo vel diem regnare.

In Dict. 61

[1] Apud Bohemos hoc vectigal exigi nequit, apud quos lupanaria et quaevis peccata publica Hussitarum lege prohibentur. Nostri minora mala tolerant, ut maiora quaeque devitent. [2] At bene cum Neapolitanis actum est, quibus hunc regem divina pietas dedit, quo regnante, et ditantur et extolluntur. Memoriam, si grati fuerint, Alfonso aeternam retinebunt, qui regnorum omnium suorum huc opes attulit.